



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro Sanctitate animæ & corporis, ad eandem precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

ratio à me nunquam recedens, cor meum amore sciens, & intima animæ penetrans, Amen.

Aspiratio sequens crebrius per diem, pro diuina charitate obtinenda, est repetenda.

Dulcis Iesu Deus meus, absorbeat me quæso ignita & melliflua vis amoris tui, quæ penetrat cor meum, purget & rapiat in se omnia interiora mea, vt sicut flamma ardens, aut ferrum candens, tui amore semper ardeam, totus à me ipso deficiam, te verò solum cogitem, te solum desiderem, te solum sciam, te sentiam, tibi soli inseparabiliter in hæream, Amen.

Pro Dei amore, ad Deiparam Virginem Mariam, precatio.

O puella speciosissima, moribus & vitæ sanctimonia quam maximè decorata, ó virtutibus vernantibus odorifera, ac cunctis gratijs donisq; cælestibus repleta, vtinam tui me amore vulneres, & tui suauissima dilectio ita cordis mei penetrata faciat, vt omnia mundi præsentis gaudia in nauisem mihi vertantur. O virgo ex regia stirpe orta, atq; in Dei matrem ante mundi constitutionem electa, mei pauperis noli quæso despiciere preces: sed quem tantum tui desiderium capit, vt putet sibi bene esse sine te non posse, in tuam recipe gratiam, piusq; tuum illi ostende vultum, ex cuius consideratione omnes desolati & mœsti reficiuntur. O gloriosissima atque misericordissima domina mea, vtinam in filium tuum me adoptes, & exuberantissimam misericordiam tuam super me effundas, ab omnibusq; malis præsentibus & futuris me protegas, suauissimo tuo cordi me cõstringas, & quicquid tibi in me displicet procul repellas, quo sic tuam voluntatem adimpleam, & quæ obedientis sunt filij, incessanter perficiam, Amen.

Pro sanctificatione animæ & corporis ad beatissimam Virginem Mariam, precatio.

O Virgo gloriosissima & omni laude dignissima, mater Iesu Christi charissima, per omnia quæ beatissima Trinitas in te & sanctissimis anëbris tuis operata est magna, & per ineffabile illud gaudium quod in conceptu & partu filij Dei sensisti, dignare de singulis membris tuis, dulcedine redundantibus, tanta efficacia in me stillare gratiam tuam, vt perfundatur totum corpus & anima mea, sanctificenturq; omnia membra mea, ita vt de cætero nunquam moueantur ad praua opera, sed seruiant amori tuo cum lætitia, & per amorem viuificentur, regantur, roborentur, perficiantur vsque ad exiccationem medullarum omnium ósium meorum, Amen.

Pro cordis commutatione & perfectione ad B. Virginem Mariam, precatio.

Dulcissima Domina mea, facias quæso mecum felicissimum cambium. Aufer à me cor meum pessimum, & fac cum illo sicut volueris, & da mihi pro illo cor tuum virgineum sanctum, perfectum, omni gratia & virtute plenum, & in æternum benedictum: aut saltem delectissima domina, da mihi cor aliud nouum secundum cor tuum humile scilicet, mansuetum, pacificum, castum, mundum, quietum, & charitate Dei & proximi repletum, quod mundum & omnia, quæ in mundo sunt veraciter contemnat, in tribulatione humiliter gaudeat, sui contemptum diligat, Dei honorem sitiat, necessitatibusq; proximorum compati sciat, Amen.

Pro amore Dei & proximi ad B. Virginem Mariam, precatio.

Amabi-